

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De dysenteria liber sistens praeter completam
dysenteriarum in annis 1778, 1779 et 1780**

Birnstiel, Franz Heinrich

Mannhemii, 1786

Historia quinta

[urn:nbn:de:bsz:31-415928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-415928)

Secunda matutina, cum omnia remedia renueret, inter lenes universi corporis convulsiones mors excepit.

HISTORIA QUINTA.

Kühner vir triginta & quatuor annorum a mala pectoris conformatione asthmaticus, sex abhinc diebus dysentericus decubuit;

Hodie, vigesima octava augusti accersitus, sequentia notavi; affligebatur æger primis statim morbi diebus magna corporis lassitudine, nausebat ab omni cibo cum vomituritione, fiebat multum, oris sapor erat mucilaginosus, respiratio solito difficilior, brevior, & frequentior, nullus fere somnus maxima licet in illum propensione; post hæc: excernebat alvum parcam, cruentam, & spumescentem trigies circiter in nycthemero, cum torminibus strangulantibus quasi, & acerbissimo tenesmo, abdomine interim semper dolente, & duriusculo, urina tamen stranguriose dimissa.

Jam facies luridi coloris, oculi plane iidem ac in moribundis cernuntur; deliquia animi sæpius redeunt; adest tussis, dolores torminosos ad umbilicum vel maxime, nec non ad hypocondria tensa, & nequidem lenissimum tactum ferentia, augens; adperitus ciborum penitus,

penitus, una cum inexplicabili esculentorum fastidio deperiit, sapor oris nauseosissimus, cadaverosus, etiam adstantes male afficit; vomiturit semper, & ob sævissimam, non explendam sitim in uxorem & præsentem pessime debacchatur. Os, & lingua, lentore mucido fordescunt, cutis sicca, scabra urit; pulsu parvo, & celeri micante. Præcepi duodecim grana Ipecacuanhæ ex infuso florum chamomillæ summanda.

Vigesima nona multa biliosa, & putrilagiosa absque levamine aliquoties vomuit; interim eadem ac heri rerum summa. Alvi vero exonerandi necessitas increvit ita, ut hæc minimum sexagesies, parcissima quantitate liberari conetur; summum foetorem divulgant resoluti modo sanguine, modo fibroso, modo coagulato, modo muco, aut floccis derasarum membranarum, constantia excrementa; cum urinæ itinere toto quanto suppresso.

Sudor viscidus super totum corpus profusus, frigore rigentes extremitates exhibet; lingua sicca, asperiore, cum oris sapore minus nauseoso redditus?

Iussi dare omni dimidia hora Cochlearia duo sequentis medicamenti. $\mathfrak{R}$. Mucilagin. gum. arab. spiss. uncias quatuor. Tinctur. corr. casca-

calcarill. aquos. Tinctur. rhei aquos. ana uncias duas, laud. liquid. Sydenh. scrupulum dimidium.

Trigesima nullam rei in melius conversionem ostendit, immo dolores jamjam atrocissimi facti, neque ullo modo, unguentis, fomentis, aut enemaribus mucilaginoso oleosis mitigabiles, pulsū irregularem effecerunt; cumque sæpius alvi involuntarius secessus, absque tenesmo contigerit, abdomenque induruerit, imperavi: ut omni hora duo cochlearia sequentis mixturæ capiat: ℞. Camphoræ scrupulum unum, salis armoniaci purif. scrupulos quatuor, solve in mucilag. gum. arabic. spiss. uncis quatuor, adde aquæ cerasor. nigr. uncias quatuor, syr. myrtillor. unciam unam, sed frustra.

Trigesima prima enim, præter continuum alvi involuntarium, foetentissimum fluxum, sitis omnis evanuit; abdomen calidum intumuit; dum totum reliquum corpus amplis, latisque guttis, sudoris visceri madidum, singultu frequenti, & pulsu minimo incomputabili comitibus frigeret. Continuabatur iisdem quidem medicamentis, verum prima Septembris, mane, ipso, quo uxor lectum repurgare studens, situm ægri variat momento, expirat.

HISTORIA